

ecclesia, magnalia dei loquuntur laureati. Adeo nullus in oculis dei personarum est respectus; atqui ob hanc laudem iam olim nobis fuisti observabilis. Precamur itaque deum, ut diu nobis in Christo patrocineris et nunquam ab aratro retrospectes. Hic tepidiores esse videmur et sumus. Nuper senatus, perpetuis contionantium^{a)} altercationibus tandem fractus, decrevit in re missaria, ut intra mensis spatium^{a)} utrinque libelli offerrent^{b)}, quibus suæ^{c)} quique rationes redderent doctrinæ: adversarii, quare missam suam asserant piam utilemque vivis ac defunctis in remissionem peccatorum; nos vero, quare eam ut abominabilem et perniciosam execremur. Et nos quidem, gratia dei, satis armatam orationem paravimus. Quid autem adversarii sint acturi, ignoramus; cessant plane et ad solitas vertuntur technas. Incertum, qualem se exhibiturus sit senatus; speramus pium fore. Rumor fortassis plura de ea re spargit, sed vana sunt, qualia divulgari solent. Mitto responsionem meam ad Lutheri furorem, quam, si vacat, leges, ut videas, quod antea etiam non ignoras, quam parum christiane ille nobiscum egerit. Ferunt, Zurzaci prostaturam depravatam illam Badensem disputationem; fortassis consultum fuerit, ut orbi, quid in ea desideretur, indicemus. Dominico igitur et Iufflino ac aliis fratribus rem propone, quod, si quid in ea re suorum^{d)} interesse putant et editum cupiunt, significant; quorum me precibus commendabis. Vale, vir præstantissime. Basileæ, 14. Iunii, anno 1527. *Öcolampadius.*

Ioachimo Vadiano apud Sanctogallenses, viro pietate et eruditione insigni.

a) „c“ für „t“. — b) Ist in „offerentes“ corrigiert, zu welchem aber der Nachsatz weggeblieben ist.

c) Scheint aus „suas“ corrigiert. — d) Eher „suorum“.

l) Von *Johannes Öcolampad*, dem Reformator Basels (1482—1531), liegen 4 Briefe an Vadian aus den Jahren 1527—1530 vor.

II 302.

488.

*Berchtold Haller*¹⁾ an Vadian.

Bern. 1527. Juli 3.

Zustände und Kriegsgefahren in Bern. Freude über das Auftreten Wilhelm Farel's im französischen Gebiete von Bern. Streitigkeiten zwischen Bauern und Predigern. Franz Kolb. Grüße an Bekannte.

Si qua salus usquam est, eam tibi precamur et optamus, charissime Vadiane. Et si Sebastianus ille, frater noster communis, ab ore omnia referre possit, quæ apud^{a)} nos scitu digna aguntur, tamen nolui eum ad te redire nostris nugis vacuum. Accepisti^{b)} iamdudum, quo numine liberata

sit Berna captivitate sua plus quam papistica. At interim ridentibus et gaudentibus adhuc nobis Sathan sic nostrates circumvenit, ut iam non denuo sanguinem sitiunt alienum. Veloces reddidit aurum liligerum pedes ad effundendum sanguinem. Turbatur procul dubio mirum in modum respublica christiana ex tam insano furore. In bella ruunt nostri, quos nulla religio, nulla gustati verbi suavitas, nullum periculum, nulla admonitio retrahit. At interim satis nobis sit, quod diligenter commonefecimus ad lacrimas^{c)} usque, quandoquidem in nobis situm non est. Quis scit, quid Christus in arcanis consiliis suis arbitretur. Purgatione mundus eget, quocumque pacto id fiat. Ceterum^{b)} in dominio Bernatum lingua Gallico, Aelen scilicet, hac die civium decreto Guilhelmus Farellus Gallus, nullis sacris profanis^{d)} initiatus, vir tamen linguis omnibus expeditissimus, verbo domini enuntiando^{e)} et pueris abcdariis instituendis præfectus est. Hunc veluti Męcenatem^{b)} exosculamur omnes. Nec voluimus te latere, ut vel hac parte nobis congauderes. Digladiantur continuo rustici cum pastoribus super negotio verbi, et eo res omnis mihi vergere videtur, ut tandem communem omnium Bernatum pastorum collationem, Tigurinorum more, observemus. Bone deus, quam feliciter cederet toti Helvetiorum patriæ, ubi hæc fieri possent! Tu interim, qui calcaribus nullis egres, deum precare pro ecclesia nostra, ut feliciter^{b)} cedant et proficiant, quæ dominus cœpit^{b)}. Franciscus meus Kolbius et impiis vere Kolbus totus totam vestram salutem ecclesiam et illius ministros, Zilinum nostrum, qui tam literis parcat, ut papirum carius venalem apud^{a)} vos existimarem quam paleas, rursus Iufflinum, Iacobum Reinerum, Christannum Fridboldium ceterosque omnes^{b)}. Valetate charissimi fratres omnes. Pestis foras pulsata et vocat insperato, ut valedicere oporteat, dum commode datur. Rursum valetate. Bernæ, 3. Iulii, anno 27.

Bertoldus Hallerus, ex animo tuus.

Ut actum sit apud^{a)} nos literis fratris cuiusdam Mathei ab der Rüti, Sebastianus narrabit; in posterum estote cautiore. Commonefac tam Sebastianum quam et Fridboldium, quatenus pelliceum mittant pirretum^{f)}; modo sit amplum et capitis mei carnosum capax.

Viro iuxta docto ac prudenti, Sanctogallensium consuli, Ioachimo Vadiano, maiori suo in domino perpetim observando.

a) „apud“. — b) „c“ für „e“, „cēt.“, „Męcen-“, „fēl.“, „cēp-“. — c) „ch“ für „c“. — d) „ph“ für „f“. — e) „c“ für „t“. — f) Oder „perr-“?

l) Vgl. III, Brief 434.